Con…

v. … conceptio.

Starovolsii Simonis: De immaculata conceptione B. Mariae Oratio.

SIMONIS STAROVOLSCI
De Immaculata
CONCEPTIONE
BEATÆ V. MARIÆ
ORATIO.

6.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Francisci Cæsarii, 1638.

APPROBATIO.

Iacobus Vstiensis, S. T. & I.V. Doctor ac Professor, nec non per Diœcesim Cracouiensem Ordinarius Librorum Censor, Orationem Simonis Starouolscij de Immaculata Conceptione Beatę Virginis Mariæ Typis mandari, dat facultatem.

Perilluſtri & Adm̃: Rñdo Domino,

D. ALBERTO SEREBRYSKI,

CRACOVIENSI, TARNOVIENSIQ. CANONICO, S. R. M. SECRETARIO.

SIMON STAROVOLSCIVS

De Immaculata Conceptione Virg: Matris, ORATIONEM PIO AFFECTV DEDICAT, CONSECRATQ.

SVmmus ille in Deum affectus, quem Pietatem dicimus, Perill: & Adm̃: Rñ: Dñe, auguſto quodam modo, omnes complectitur virtutes: vnde, dum Pium aliquem eſſe putamus, in reliquas eius præclaras actiones non inquirimus; quia ſcimus, neminem vſquam fuiſſe verè bonum aut magnum, niſi qui à terra ſuſtulit animum, & æternæ Sapientiæ radiis miſcuit, velut Numinis capacem. Te quoq; optime Sacerdos, ſi pium dicam, reliquas tuas virtutes ſine damno ſilere poſſum; qui prudentior in humanis es, cùm diuina contemplaris & æſtimas. Meliori ſiquidem conſilio cogitatio imbuitur, quæ in cælum aſſurgit; & mentis acies, quæ Deum ſpectat,

faciliùs penetrat terrena, velut è confinio æternæ lucis descendens. Verùmenimuero, quia immensum humanæ salutis negotium est & sanctum diuinę cōditionis mysterium; ideò tu Perilluſ: Dñe, non satis habes nouisse Deum, quod omnibus mortalibus natura suadet; nec etiam pura mente colere, quod lex & sapientia iubent; sed ritu præcipuo, & prisca religione (ea nimirum, quę puram pietatem exigit, & ab Ecclesia Catholica, vt salutifera proposita, omnem superstitionem Schismaticorum, omnemq́; eroneam opinionem Sectariorum, excludit) sacris initiatus Ordinib⁹, Deum veneraris, Matrem eius Virginem colis. Virginem, inquam, sanctam & intemeratam, vsq́; in tota sua vita puram & candidam, sic & in conceptione decoram & immaculatam. Hęc enim quia Christum paritura erat, sine labe concipi, sine peccato nasci debuerat, vt nemini similis esset, quod vlnis deinde suis gestauit. Vt igitur Piissimus, esse quoq; in Virginem debemus, quę in partem religionis venit, postquam nobis Deum hominē peperit; & proximo à numine gradu censenda est, quia numen visceribus suis clausit. Quam, qui maximè colit, is sanè dignissimum se Deo reddit, quia omni venera-

tione

tione dignam putat, quæ digna eſt Sponſa Dei fieri & Mater. Hinc non adoratur Deus, vbi Virgo exulat, nõ Filius, vbi Mater negligitur; cùm autem Mariam laudamus, Deum ipſum extollimus & veneramur, qui propter noſtram ſalutem, naſci ex ea voluit. In tam vario itaq; ſæculi noſtri opinionum tumultu, VERÆ ET CHRISTIANÆ PIETATIS TESSERA, MARIA EST. eaq́ue ſine macula originali pulchra, ſine labe actuali ſancta, niueum candorem tota vitâ præferens, omnes rationales creaturas, fulgore ſuperans gratiarum. Sub cuius tutela, dum tu Peril: & Ad: Rñde D. totam vitam degis, facilè in amorib⁹ Principum, in opinione vulgi manes, quod hæc ſuos clientes vbiq; conſpicuos faciat, vbiq; protegat & promoueat. Quapropter adoleſcentulus adhuc, facilè Magno illi Heroi Ioanni Zamoſcio innotuiſti, cùm in Academia ab illo erecta, bonas artes & pietatem diſceres: ſimilitudineq; ſtudiorum, clariſſimo poſthæc in patria ciui, eius filio Thomæ, ita placuiſti in iuuenili ætate, vt & ad clauum Reipub. poſitus vir, tui non fuerit oblitus, ſed virum quoque expertus, in partem laborum ſæpius euocaret. Quid dicam de inclyti illius vltimiq; in familia ſua Oſtrogii Ducis, Ioan-

nis Castellani Crac. propensa in tua studia voluntate ac liberalitate: qui te iudiciorum Tribunalitiorum praxi exercitatum, in aula sua habere voluit, secretioribus consiliis adhibuit, grauioribus negotiis præfecit, honorib⁹ extulit, opinione auxit, & semper ad pietatem, spiritualemq; statum tendentem, opimis sacerdotiis ornauit. Quo deinde in cælum euocato, vt pietati eò facilius litare posses, ad Magnum illum Antistitem Martinum Szyscouium te contulisti, & quasi è procella sæcularium aularum enatando, benignitate illius, in Venerabile hoc Collegium Canonicorum Crac. adscriptus es. Vbi sueta Pietatis opera exercendo, sub eiusdẽ Aduocatæ tuæ, & vniuersi Orbis, singulari patrocinio conquiescis, vitam tuam, vitæ Christi, ex doctrina Apostoli, assimilas: opes tuas, opes Marię facis; dum id quod es, Deo ipsi attribuis: id quod possides, cultui eius augendo impẽdis: Diuique Præstitis Basilicam, qua auro & argento, qua marmoribus & picturis, qua denique vestibus sacris & suppellectili, exornas. Et cùm priuatis in ædibus nitorem Architectonicæ amas, tum in publicis ædificiis, Domusq; Domini decorem eximiè diligis. Macte hac tanta Pietate tua, Optime Mystarum,

& patriotas tuos Chełmenſes, è quibus ſan-
guinem ducis, ad ſinceriorem cultum, tuo e-
xemplo trahe: præſertim, quos vel maleſua-
da opinio, vel peruerſus affectus, vel deniq;
animi ſtupor obſedit. Non hæc dico, quaſi
neſciam indiſtrictam eſſe Pietatem Roxola-
norum, ſuo loco ſtare ſanctitatē, & excelſo
planè theatro ſedere Deiparæ cultum ac ho-
norem: ſed vt hac ſingulari, de eius Immacu-
lato conceptu, ſententia, permixtis ſibi Schiſ-
maticis inclareſcant, & præeant exemplo ad
ſacratiorem de Virgine Chriſtifera opinio-
nem. Quæ, vt caſtis viſceribus Agnum im-
maculatum ſuſciperet, ipſa quoq; abſque ma-
cula originaria concipi debuerat. Quod la-
tiùs oratione noſtra explicatum, tibi Perilluſ:
ac Rñde Domine, pro eius gloria piè velitanti,
offerre & ſacrare ſtatuimus, qui ſacro cādo-
re æquè Patriam, Religionem, & Virginem
amas. Nec quidquā aliud, pietatis opera exhi-
bēdo intendis; quàm vt ex eo flammati ad Pie-
tatem cæterorum Myſtarum animi, in tantæ
Reginę obſequiis, efferueant magis, magisq;
exardeſcāt. Viue feliciter, & perge in opere
bono, Presbyter optime, Virginisq; cultum
quę te iam dudum in clientelam ſuam aſſum-
pſit, quàm ſtudioſiſſimè exauge.

ORA PRO POPVLO,
SACRA VIRGO MARIA;
INTERVENI PRO CLERO,
MATER OMNI LAVDE DIGNISSIMA·
INTERCEDE PRO DEVOTO FEMINEO SEXV,
MVLIER SOLE AMICTA,
SENTIANT OMNES TVVM IVVAMEN,
QVICVNQVE CELEBRANT
TVAM IMMACVLATAM CONCEPTIONEM,
O VIRGO CHRISTIFERA,
ET AB ÆTERNO PRÆORDINATA.

SIMONIS STAROVOLSCI

ORATIO

De Immaculata Conceptione Beatæ VIRGINIS MARIÆ.

Viatoribus nobis, & peregrinis in ista miseriarum valle, vniuersalis hæc sancita lex est, Auditores Catholici, vt simus conclusi sub peccato: vel quo contaminati sumus ab originatione, vel quod committimus actione voluntatis, à recto rationis tramite deuergentis. Vnde, ne infans quidem vnius diei purus est à sorde, ob maculam primorum parentum, quæ in totum genus humanum propagata est. Et hac in Baptismi lauacro abstersa, ob subsequentem inde peccandi fomitem, naturali quadam fragilitate, ne vnus quidem ita iustus repertus fuit, vsq; in hodiernum, qui non septies in diem aberraret, testante Scriptura; licet exactissima ratione obseruaret, quidquid vel lege naturali, vel scripta vtraque, ad consequendam beatitudinem traditum esset. Exceptis ijs, quos summa bonitas diuina, immunes esse à mortifera labe voluit, & in vtero adhuc materno conceptu sacrato, super alios extulit. Præ omnibus autem MATREM VIVENTIVM MARIAM, quam ab æterno præordinauit, candidam, immaculatam, & omni sanctitate sanctiorem in vtero matris eius fecit, & ab omni labe puram, speciali gratia præseruauit: vtpote, quæ in ipso statim conceptionis suæ instanti, supergressa est puritate, & niueo candore, omnes illos, qui vel in sanctitate nati, vel in iustitia originali creati

B fuerunt.

fuerunt. Et meritò sanè. Decebat enim vt virago illa, quæ omnium capitalissimi hostis caput conterere debuerat, magis refertam mensuram candidationis præ omnibus acciperet. Digna erat, ne incideret in letheum pudorem, neue laberetur in originarium marcorem, quæ nobis felicioris vitæ originē adferret, mortem absttergeret. Merebatur hoc, terra illa melior, de qua veritas orta est, quæ nouum protulit Adamum, ne maculoso liquore perfunderetur; sed Virgo virginum in ipsa conceptione statim immaculata maneret. Par erat, nouum hunc Paradisum, nullis spinis, nullis tribulis squallere: hortum conclusum, excludere exterminatorem fluorem: virgam Aaronis, iam statim à conceptu, pulcherrimis floribus vernare: & arborem illam vitæ, feracem vitalis fructus, IESV BENEDICTI, dignissimam esse, ne malignus speculator serpens illam contingeret; neue fuliginis liquore atraret illam, quæ tota pulchra, tota sine macula, tota lilium. Et vomuerat quidem septiceps hydra illa, fluuium ex ore, vt D. Ioannes vidit in sua Apocalypsi, quo hanc Sanctam mulierem sole amictam, tingeret & infuscaret; sed datæ illi duæ alæ, vt euolaret à rictu & eluuie tingentis; *Decor animæ eximius, & Gratiæ plenitudo.* Qua, & supernorum spirituum, & mentium humanarum, omnes gratiarum colores, & pulchritudinis radios excellit. Nihilominus tamen, admiranda Mariæ maiestas, immaculatusque eius, in ipsa statim originatione, candor, non ante magis perspectus fuit, quam, cū nato Christo, ipsa velut ex aduerso, radiantem diuinitatis in humanitate Filij splendorem, exciperet, totique orbi lumen nouum, nouum sine macula speculum reflecteret. Hinc enimuerò illa Dionisij vox, plena stuporis, plena admirationis, vbi ad contuitum Virginis Augustæ corruisset. *Nisi ex ratione naturali, & fide, nouissem aliam Deitatem, præter hanc, aliam esse non putassem.* Iam autem vbi diuinitas apparet, vbi candoris splēdor relucet, vbi virtus Altissimi operatur, ibi nullæ peccati sordes reperiuntur, nulla macula affingitur, nullum vitium deprehenditur. Sed vt Christus factus in tempore homo, pri-

matum

matum inter viros tenet, ac viri nomen maximè promeretur, nullam peccati originarij, aut factiui maculam habens, quamuis ipse peccata nostra pertulerit: sic & Virgo Christifera, ab æterno præordinata, inter mulieres principatum vendicans; mulieris quidem nomine ob sexum meritò nuncupatur, quippè cùm sit perrara illa, imò & vnica mulier, quam Salomon ardenti in spiritu desiderio inquirebat, cùm diceret: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus*, id est, ex abysso sapientiæ diuinæ, *pretium eius*. originarij attamen criminis, vt cæteræ mulieres, sicut & erroris per voluntatem commissi, non est planè obnoxia, quamuis sit refugium peccatorum facta; sed in ipso statim conceptionis instanti, plena omni gratia, plena pulchritudine, plena sanctitate. Quapropter, Auditores, magnam Dei matrem, omni decore pulchriorem, & omni puritate candidiorem, non tam quidem adornare laudibus, quàm rudi adumbrare sermone, in vestra nunc præsentia statuimus, vt puram de eius eximia sanctificatione, & impollutam de eius immaculatò conceptu, vestris animis opinionem imprimamus. Quanquam non est cogitatio, quæ altitudinem eius attingat; non eloquentia, quæ sanctitatem exaggeret; non calamus, qui admirandam præseruationem à labe originali describat; nec penicillus, qui pulchritudinem gratiarum, ac virtutum delineet venustatem. Quo tamen Polonos meos, ex asse rerum & animorum, vltra mancipij iura, Mariæ Virgini obstrictos, ad eam quæ est *Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei* perfectè imitandam, diligendo, reuerendo, gratiam agnoscendo, ac deniq; non temere sperando, cohortari possimus; summam eius, præter omnes sanctificationem in immaculata Conceptione, & præseruationem à peccato originali, dispiciemus. Tu Diua ipsa faue. Vos verò qui Virginem elucidando beatitatem mercamini, rogo, aure attenta estote.

SVmmus rerum opifex Deus, Auditores, prothoparentes nostros Adamum & Euam fecerat ad imaginem & similitudinem suam, qua intellectus acumine, qua voluntatis con-

ſtantiâ, qua luminis infuſi ſignaculo, qua deniq; iuſtitiæ originalis ornatu; vt factorem ſuum vnicum & ſolum contemplarentur, eius ſequerentur & exequerentur iuſſa, ab eius tantummodò nutu penderent, atq; ardentiſſimo mentis deſiderio in eum ipſum deflagrarent. Cæterum inuidit eis hanc talem felicitatem, malignus veterator, ob ſuperbiam & faſtum cælo eiectus, & in profundum abyſſi infernalis demerſus: eò quòd videret in locum ſuum genus humanum deputatum, quod ab Adam deſcendens per propagationem, deberet implere numerum eiectorum Angelorum, & poſſidere deinceps gloriam illam æternam, quam ipſe perdiderat. Proinde ſerpentis perſonam induens, aſtu vaferrimo, ad peccandum eos induxit, de ſtatu gratiæ deiecit, & ſuper totam progeniem, iugum grauiſſimum ſuperinduxit: vt omnes qui de ſtirpe eorum naſcerentur, odibiles eſſent Deo, ob amiſſam per inobedientiam Iuſtitiam originalem. Quod altiùs conſiderans Eccleſiaſtes, gemebunda ſanè voce in hæc verba prorupit: *Grauiſſimum iugum poſitum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum.* Grauiſſimum equidem atq; difficillimum, quia nemo vel concipi, vel naſci abſque eo viſus eſt: nemo deinde, in eo conceptus & natus, proprijs illud viribus excutere potuit; nemo ab eo excipi naturali ratione valuit: nemoq; demùm illo non excuſſo per lauacrum baptiſmi, cælum ſibi polliceri audet. Sub hoc iugo grauiſſimo, aratro alligati ſunt carnis, & fomiti peccati, Reges cum ſuis coronis, Imperatores cum ſuis ſceptris, Principes cum ſuis diuitijs, Sapientes cum ſcientijs, Religioſi cum obſeruantijs, Milites cum armis, Ciues cum delitijs, rurales cum laborib⁹, mercatores cum ſuis induſtrijs; & vt verbo dicam: *Omnes corrupti & abominabiles facti ſumus, in concupiſcentiis noſtris. Omnes in iniquitatibus concepti, & in peccatis geniti ſumus. Omnes declinauimus ſimul inutiles facti & declarati ſumus.* Præter hoc vinculum concupiſcentiæ natus eſt nullus, niſi Chriſtus ipſe, ex Virgine concipiente de Spiritu ſancto; & quæ de maſculo quidem ſemine, Virgo B. Maria, ſed præſeruata à peccati originalis macula, abſque omni prorſus

ſus fomite criminis, & propenſione ad peccandum, eius ipſius gratia, quem peperit, munita & exornata, vt communi ſenſu Sancti Patres omnes docent, & Oecumenica Synodus Tridentina. Cùm enim illa fuerit initium reparationis & redemptionis noſtræ, decuit vt ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi; vt ſic naſceretur de parentibus immundis munda, qualiter ante eam, & poſt eam, natus fuerat nemo. Nempè, vt ſicut Adam primus homo de terra virgine, nulli maledicto obnoxia, neque humani ſanguinis profuſione vitiata, formatus eſt; ſic Adam ſecundus, de terra eadem virgine, nulli maledictioni ſuppoſita, nulla macula polluta, nulla concupiſcentiæ vel libidinis labe aſperſa, corpus aſſumeret. Ac propterea ſtatim vt fundauit, *ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus*, & ab omni crimine originalis culpæ, in ipſa creatione animæ illius ſanctiſſimæ, eam præſeruauit. Et ideò, *Deus in medio eius non commouebitur* indignatione iræ ſuæ, qua commouetur in filios peccati, ſed *adiuuabit eam manè diluculo* priuſquam in vtero concipiatur. Ideò Angelus aiebat: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, qui te ab æterno præordinauit in matrem ſibi, & ſtatim in ipſo conceptionis initio, omni ſanctitate, omni gratia exornauit. Iam autem nuſquam eam plenam gratia Angelus ſalutaſſet, niſi ab originali macula libera fuiſſet; à qua cùm alij Sancti per ſanctificationem purgabantur, Mater verò vnigeniti, quæ ſublimiore gradu poſita, debebat fieri Regina Sanctorum omnium, per præſeruationem, ante ſæcula ordinatam. Vnde immunis facta, ipſamet de ſe teſtatur inquiens: *Dominus poſſedit me ab initio*, id eſt, candidam me creauit ab omni labe, quæ debebatur filijs Adæ, ab initio conceptionis meæ, gratijs me & virtutibus ornauit, à macula præſeruauit, & vt ipſe ſanctus & immaculatus eſt, ſic me omni ſanctitate præditam & immaculatam, ab ipſa origine habere voluit. Rectius itaque gloriatur, ſe eſſe poſſeſſionem Dei, & poſſeſſam à Deo, quam illa Iudith ſancta, quæ eam præfigurabat, deque ſeipſa itidem dicebat, ſed ore Virginis: *Dominus ab initio me poſſedit: quia antequam quicquam ad*

 redimen-

redimendos mortales faceret, me sibi fasciis aureis cinxit, nec permisit me ancillam suam coinquinari: sed sine pollutione peccati, reuocauit me, gaudentem in victoria sua, in euasione mea. Rectius inquam, gloriatur Dei mater Virgo, quàm Iudith vidua sancta; quia sicut Sole oriente obscuratur lumen stellarum & firmamenti: sic Virgine Maria oriente ab initio conceptionis sine macula, obscuræ fiunt, nec apparent virtutes & gratiæ sanctarum fæminarum, & sanctorum omnium. Quid enim est castitas Iudith? quid continentia Susannæ? quid pulchritudo Ruth? deuotio Annæ? sanctitas Elisabeth? quid virtutes diuersorum Sanctorum? quid demum plenitudo gratiæ Stephani & Apostolorum, comparata virtutibus & plenitudini gratiæ Sanctissimæ Virginis, quæ Sanctorum omnium facta est Regina, & quæ sola præ omnibus ita placuit Sponso animarum, vt ad illam solam dicere dignaretur; *Facies tua decora*, id est, nullo Prothoparentum næuo obscura, nulla originali macula tincta, nulla ruga in conceptioue striata: sed omnium creaturarum formosissima, omnium facierum venustissima. Et cuius pulchritudinem, non modò sol & luna, & reliqua astra, ipsi vel substrata, vel chlamydi affusa, vel diademati implexa, verùm & omnes cælites, & ipse Spiritus sanctificator miratur, dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Aurora, inquam, aureis gratiarum radijs à nocte peccati resplendens, solaque consurgens præseruatione gratiæ à iugo seruitutis, quod filijs Euæ, ob inobedientiam illius impositum est. Pulchra, à fulgore: electa, à gratia: terribilis, à potestate. Pulchra, à contextu virtutum: electa, ab æterno & ante sæcula: terribilis, à fortitudine & virtute, qua contriuit caput serpentis infernalis. Pulchra, à plenitudine gratiæ: electa, inter omnes creaturas, & spiritus ministratorios: terribilis, à Dei sui complexu perpeti. Pulchra, quia superat Angelos intellectus acumine, voluntatis ardore, gratiarum radijs flammantibus: electa, quia sanctior facta omni templo, amplior cælis, nobilior Archangelis, dignior

gnior

gnior Cherubinis: terribilis, maieſtatis amplitudine, venuſtatis fulgore, poteſtatis communicatione, ad retundendum aſtum veteratoris, cui maleſuadi Prothoparentes noſtri auſcultarunt. Ergo vt in orbe lunæ, licet pleno lumine, facies illa Solis impreſſa cernitur adſperſis maculis: ſic in cælo empyreo, Sanctorum reliquorum mentes, lucidiſſimæ licet à ſanctificatione gratiæ, non ſine tamen aliqua leuiuſcula adſpergine ſunt; ſolius Mariæ facies decora, mens formoſâ, anima ſine macula, corpus ſine vitio. Idæa puritatis delicatiſſimæ, flos pulchritudinis venuſtiſſimæ; quem nullus marcor corrupit, nulla labes adſperſit, nullus puluiſculus obfuſcauit. Illa ſola Prothoparentum originalem iuſtitiam ſuperauit. Illa ſanctificatorum in vtero puritatem tranſgreſſa eſt. Illa omnium Angelorum pulchritudinem exceſſit. Illa candore ſuo illuſtrat cælos, venuſtate lætificat terram, maieſtate perſtringit infernum. Illa exhilarat cælites ſua gloria, recreat terras ſuo exemplo, refulget & in inferis ſua potẽtia. Illa ſola demulcet iratum Filium: illa mediatricem agit inter Natum, & filios Euæ: illa in gratiam reducit exules exleges qui concipiuntur in iniquitate, naſcuntur in peccato, à iuuentute ſcelera amant, & tota ſua vita vitia perpetrant. Et quia immunda & impura primi hominis coniunx fuit, quæ mortem mundo intulit; munda ab originaria labe, pura ab omni actuali macula ſecundi hominis Mater & Sponſa eſſe debuit, quæ vitam referret, quæ ſalutem noſtram auſpicaretur, quæ nos Chriſto reconciliaret. Cuius exemplo, omnes deinde qui Chriſtum ſequerentur, infræni menti ſuæ frænos inijcerent, à maculis peccati cauerent, ſequerentur virtutes: ab eius vita, puritatem amarent, caſtimoniam diſcerent, ſectarentur ſanctimoniam, vt ex ea genito Agno immaculato placerent. Igitur melliflui Doctoris monitu, *Mariam diu nocteq́ cogitemus. Mariam in omni neceſſitate aduocemus. Non recedat eius cogitatio à corde, non recedat nominatio ab ore. Mariam ſiquidem cogitans, non erras. Mariam inuocans, non deſperas. Mariam ſequens non deuias. Ipſa tenente non corruis: ipſa protegente, non*

 metuis:

metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia, peruenis ad portum felicitatis. Ab eius etenim pulchritudine manat omnis sanctitas; ab eius venustate, crescit virtutum amor; ab eius maiestate procedit timor Domini, & custodia mandatorum illius; ab eius denique patrocinio, salus confidentibus, protectio inuocantibus, merces & corona obseruantibus virgineam puritatem. Eapropter maculam qui affingit huic Virgini, Deo derogat sapientissimo, qui eam sibi ab æterno ordinauerat Matrem. Vnde sic, qui Mariæ conceptionem, quæ plena gratiæ fuit, perstringit; Christo Deo nostro, qui ex ea puram humanitatem assumpsit, iniurius fit. Nam quia Deus purus, sanctus, & immaculatus est: purissima etiam ab omni labe, sancta, & immaculata concipi debuerat, quæ Christi debuit esse Mater. Quia opera Spiritus sancti, Verbum Æternum incarnari ex ea voluerat, immunditiem omnem, in ipsa eius origine remouerat ab illa, vt naturam referret Filij sui. Ast hic sine macula fuerat: igitur oportebat omnino, vt & Mater illius, omnem humanæ mentis & conditionis vinceret puritatem. Sol ille lucidissimus erat, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, debebat & Maria in ipso sui conceptu sole gratiarum vestiri, quæ Solem iustitiæ Christum paritura erat. Sanctuarium itaque Dei facta, in partem diuinitatis venit, & solium gloriæ Excelsi appellata, participauit à Deitate originis puritatem; & candore sanctitatis, facta persimilis Filio. Hinc apud Salomonem gloriatur, quod Sponsus illius sit *candidus & rubicundus*: qui itidem Sponsam suam asserit sibi esse persimilem, & dicit: *Dilecta mea candida & rubicunda, electa ex millibus.* Ast Sponsus est sanctus & impollutus; ergo & Sponsa pura, sancta, & immaculata. Ille est Deus & Homo: hæc Virgo & Mater. Sine peccato Christus, quamuis totius mundi peccata ipse pertulerit; sine labe Maria, quamuis sola viam ad salutem peccatoribus monstrare meruerit. Dignissima itaque fuerat, sine peccato nasci, sine macula concipi, quæ purissimo vtero suo, Dei Patris verbum gestare debuit, cùm propter nos peccatores descendere de cælis, &

lis,& carne humana veſtiri vellet. Nec vllatenus potuit naturæ iniuria lædi in ſua originatione, quæ Chriſtum concipere meruit ex Altiſſimi obumbratione. Sine labe itaque & immundicie nata, quæ puritatem mundo induxit: ſine peccato originario concepta, quæ ex Spiritu ſancto concepit: excepta à lege naturæ, quæ naturæ conditorem genuit: ſancta ab initio originationis ſuæ fuit, quæ nobis Deum peperit. Toto mulierum cœtu melior, tota progenie Adæ excelſior, tota natura pulchrior atque purior, quæ Saluatorem concepit quæ Legiſlatorem enixa eſt. Digna Deo, quem geſtare meruit. Mater facta, quæ ſemper Virgo fuit. Omnium creaturarum Domina facta, quæ omni turpitudine caruit, quæ Creatorem viſceribus excepit. Diuinæ naturæ puritatem naſcendo obtinuit, Filium repræſentauit. Hinc illæ immaculati Sponſi, iteratæ voces: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; tota pulchra es.* Pulchra nimirum in conceptione, veluti noui diei Aurora. Pulchra in natiuitate, velut Luna extra nubem ſplendens. Pulchra in tota ſua vita, velut hortus concluſus, non permittens intrare malignum ſpiculatorem; aut fons ſignatus, à nemine contactus, in ſua puritate niuea permanens, ſine labe originali, ſine macula actuali. Et quòd ex iſto horto, Æternæ ſapientiæ flos lectiſſimus prodijt; & ex iſto fonte riuus infinitæ bonitatis manauit. Eapropter nos morbis obruti, & ſceleribus infuſcati ac deformes, ad te ô pulcherrima mulierum accurrimus, vt nobis de floribus tuis medicinam, & de fontibus aquas ſalientes in vitam æternam porrigas, quo ab infirmitatibus noſtris curati, & à turpitudine criminum abluti, poſſimus in innocentiæ candore tibi, Filioque tuo ſeruire cum lilio caſtitatis. Ad te immaculatam Virginem, concepti in iniquitatibus peccatores clamamus; vt nos à vitiorum fœditate expurges. Ad te Matrem miſericordiæ confugimus, miſeri præuaricatores, vt nos ab æterno liberes cruciatu. Ad te Dominam vniuerſorum, exules filij Euæ ſuſpiramus, vt nobis reconcilies, quem genuiſti cunctorum Creatorem. Audi preces pauperum, ô Diua Diua-

rum, & ne despicias in necessitatibus gemitus miserorum. Placa precibus Iudicem, quem singulari puerperio enixa es Saluatorem, vt qui particeps factus est humanitatis nostræ, nos quoque per te, consortes efficiat diuinitatis suæ. Lutum enim sumus mortales, cœnumque & sordes sequimur naturâ fragiles: amamus scelera, quibus vincimur, peccati fomite regnante in nobis: vnde miser homo salutis suæ prodigus, turpiùs difficiliusque putat abluere nefas, quàm committere. Sed tu, quæ *inuenisti gratiam apud Deum*, ora pro nobis ô Mater pijssima eum, *cui proprium est misereri semper & parcere:* quia excelso residens in solio, *respicit in orationem humilium, & non spernit preces pauperum.* Et quidem omnes ad te confugientes, ô benigna generis Christiani Aduocata, experiuntur tuam gratiam, tuum sentiunt patrocinium, sed non deseras, quæsumus, & nos Sarmatas tuos, peculiari clientela tibi deuotos, qui inter virulentos Hæreticos, pertinaces Schismaticos, fœdissimosque Machometanos positi, tuum iuuamen quotidie requirimus, tuam opem assiduè imploramus. Et vt imploremus, tuam ob id sanctam & immaculatam Conceptionem festiua solemnitate quotannis celebramus: de tua ineffabili originatione, & æterna in conceptu præordinatione, ne in Scholis quidem, publicas disceptationes fieri permittimus, (procurante Inhibitionem à S. Sede Apostolica, pijssima olim Regina nostra, Anna Constantia, Diui SIGISMVNDI III. felicissima consorte) ne vana nimirum aut vaga curiositate contra te peccemus, quæ nobis Veritatis fontem peperisti. Ergo exurgite animis, ô Poloni mei, & sacrum concitate affectibus ignem, vt linguæ incalescant: loquimini Virginem, quam cogitatis: celebrate Mariam, quam colitis: adorate Filium Matris, quam veneramini: contraque puritatis Virgineæ osores certamen instituite, & militiam spiritualem pio affectu amplectimini. Sub eius augusto Labaro, aggredimini hostes Crucis; contraque quosuis Ecclesiæ Catholicæ inimicos, hanc Tesseram pietatis vestræ profitemini. Colite Virginem; Filium veneramini, ac vtriusque imaginibus, ve-

xilla

11

xilla vestra in bellis, more maiorum exornate. Nam & Christus exercituum Dominus est, & Virgo Dei imago, quæ illum peperit, lactauit, nutriuit, fidei hostibus terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Cuius sospitatu, florentes, inuincibiles, atque formidabiles vicinis vestris eritis: conseruabitis Patriam benedictione Filij, & vtriusque gratia atque fauore, adipiscemini salutem & gloriam. Et licet mortalium nemo, vel Christi generationem, vel Virginis conceptionem describere valuit; nemo in eorum splendentem omnigenam perfectionem, obtutus suos dirigere potuit: nemoque laudes Mariæ, pro eius dignitate deprædicare meruit: vos tamen primi inter Septentrionales, abstinendo à periculoso scrutinio secretorum, peculiari deuotione celebrate Genitricem Dei, cultu perfectiori glorificate Christum. Dicite immaculatam esse Conceptionem eius, quæ in cælo nasci omnino debuerat, nisi terris Deum datura fuisset. Prædicate impijs, quòd absque labe nata, quòd virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fęcunda, quòd sine grauamine grauida, quòd sine dolore puerpera, quòd apud dilectissimum suum Natum generis humani Aduocata, quòd Christianorum populorum protectrix, quòd singulari bonitate, vestræ Poloniæ Regina. Nam quòd ad celsas adeò dignitates, Polona Nobilitas peruenerit? quòd Principes nostri, ad paria reliquorum in Christianitate Regum, culmina honorum ascenderint; quòd inter tot bellorum discrimina, rerum ac temporum difficultates, & sexcenta malorum pericula superiores euaserint; quòd deniq; Religionem semel arreptam, vel in dominatu superstitionis, hæreseosque postmodum, continuò maioribus incrementis extulerint; Maria id totum effecit. Maria viam & modum monstrauit. Hæc enim est illa Cynosura, quæ ad se accurrentes ducit ad beatitatem. Hæc monstrat salutem. *Hæc est illa scala*, inquit Hypponensis Antistes, *per quam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos*: vt in terris existentes, cælestes percipiant consolationes; vt confugientes ad eam, promereantur vitæ æternæ coronam;

maxime qui celebrant deuotè sanctam eius commemorationem, prædicant Immaculatam Conceptionem. Narrabo rem Annalium memoria dignam, quam non ex publicis quidem tabulis, sed ex priuatis Monachorum, loci illius, quibus id notare cordi fuit, aduersarijs excepi; sed & typis postmodum vulgatam vidi, quod publicæ omnium in Virginem pietati, eiusmodi scriptione, boni Religiosi consultum vellent. Æræ Christianæ, sexagesimo sexto anno supra mille & quingentos: quidam Mariæ deuotus, eiusque immaculatam Conceptionem peculiari deuotione colere solitus, adeò capitis doloribus conflictatus fuerat, vt in delirium prorsus prolaberetur. Ductus itaque ab amicis ad Virginis aram, quæ in Arenis vulgò Cracouiæ in templo Fratrum Carmelitarum in Oratorio conspicitur; vtque eò venit, statim in peruigilio Conceptionis eius conualuit, vel quod fortè diem illum, tota vita sua, religiosissimo ieiunio honorare solitus esset. Res diuulgata in Vrbe, vt loco venerationem extemplo addidit, sic & Festi solemnitatem ab eo tempore statim adauxit; quòd Cracouienses excitata frequentius ibidem miracula, diuinaque beneficia conspicati, feruentiori postmodum pietate, Deiferam Virginem, in eius Inmaculata Conceptione colere cœperint. Quandoquidem & Millesimo sexcentesimo septimo à reparata salute nostra, anno; ibidem pauper quidam homo, visu per longum tempus destitutus, vniuerso populo inspectante, lumen deperditum, in prædicta Virginis capella receperit, Virginisque Mariæ imaginem, in pariete muri depictam, ad quam votum conceperat, ipso Conceptionis illius die, aspexerit, ac ritè veneratus, appensa tabella depicta, posteris testatum reliquerit. Simili modo, & anno Millesimo sexcentesimo trigesimo quarto: Vxor figuli cuiusdam Cracouiensis, morbo per longissimum tempus debilitata, adeò, vt sese in lecto mouere non potuisset, ipso die Immaculatæ Conceptionis, ad Imaginem prædictam, vota lachrymabunda nuncupauit, & vt corde vouerat, nudis pedibus, sacram eius adire capellam, ita opere ipso præstitit, quo sanè tempore,

frigus

frigus in partibus nostris, iam intensiùs fieri assolet, subitò vt templum intrauit, ex toto conualuit; & voti compos facta, mirante vniuerso populo, & glorificante Altissimum, Virginem Mariam consalutauit. Quam iure meritò, ob tot præstita Christianis beneficia, è numero clarissimorum Scriptorum non nemo vocat: *Vnicum cæli decus, certissimum terræ præsidium: præpotentem nostram Dominam, augustam cæli terrarumq́ Reginam, huius nostri pelagi Stellam, terræ nostræ Lunam: imò spem vnicam nostrarum calamitatum; quæ quidem inter Cælites vna tantùm, vel meritis, vel gratia, vel authoritate polleat, vt sola Iudicis iram possit restinguere, conciliare salutem, dare miseris iuuamen.* Neque alienum profectò est, à singulari Virginis humanitate, quæ non generosa magis erga iustos, quàm facilis esse solet erga peccatores, visione dignari sua, protectione consolari, inspiratione excitare, impetrare gratiam, præstare salutem. Cuius communis illa solicitudo, quam vniuersæ pendit Ecclesiæ, proprijs quibusdam signis, certis in locis frequentissimè commendatur. Ac quemadmodum animi Principum, priuatis in benemerentes quasdam vrbes, aut prouincias prærogatiuis censentur, quibus cæteræ, velut illecebris, ad rectè factorum exempla pertrahantur: ita pium Dei Matris studium, & cum secunda authoritate, summum erga genus humanum patrocinium, designatis quibusdam apud nonnullas nationes, elucescit priuilegijs; vnde velut noui fontes existere queant, qui ad alios quoque gratiarum fluenta possint emittere: Poloniæque Regnum, cum gloria rerum gestarum illustre, tum Virginis patrocinio, circumuicinis populis metuendum, etsi compluribus in locis singularia præcipui amoris indicia, totque signis contestata eius, in difficillimo quoque tempore, beneficia agnoscit; maximè attamen Cracouiæ ad Icones ipsius, pluribus in templis locatas; sed in Arenis præcipuè dictam, non indigenarum aut viciniæ tantùm, verùm exterarum etiam gentium religione sacram ac sanctam, Fratribus de monte Carmeli, pro Deiparæ gloriæ piè ibi velitantibus. Quibus statim à temporibus Apostolo-

 rum,

rum, ſolemne feſtum fuit Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, vt teſtatur ſanctiſſimus Patriarcha Hieroſolymitanus, eiuſdem Ordinis Ioannes numero 44. Eorumque antecedanei, filij Prophetarum in veteri Teſtamento appellati, qui in monte Carmeli, in celebri illa ædicula *Seunion* dicta, ab ipſoque Elia Propheta ædificata, in Pſalmis, Canticis, & Hymnis, rerum Conditorem de die & de nocte laudabant, prædictum & reuelatum per viſionem habebant, *naſcituram Virginem abſque omni ſorde peccati, quæ ſpontaneam virginitatem amplexaretur, de qua deinde Deus homo naſceretur.* Qui cum natus eſſet, locumque illum cum Virgine Matre ſæpiùs viſitando ſacraſſet, ac deinceps in Cruce pro ſalute noſtra pependiſſet, ſancti illi montis Carmeli Eremitæ, recepta ab Apoſtolis fidei veritate, viuente adhuc Beatiſſima Virgine, ædiculam illam *Seunion*, in honorem Dei crucifixi, ſub titulo Dei Genitricis Mariæ conſecrarunt, eiuſque imaginem cum puero IESV depictam, primi in altari repoſuerunt. Qualem Iconem in Arenis quoq; pro conſuetudine Religionis ſuæ Carmelitanæ, non caſu ſed diuino nutu in pariete templi depictam, habent à temporibus Iagellonis Regis; miraculis clariſſimam, concurſu ad eam piorum hominum celeberrimam: & quam etiamnum venerabundi accedimus, laudes Virgini concinnimus, ſolatia frequenter reportamus, & in Virgine Matre, Deum ipſum adoramus. Legant & relegant diuinam ibi effuſam beneficentiam & virtutem, non ſolùm viri docti & integri; ſed vel rudes, vel ab orthodoxa Religione alieni, (quamuis neſcio quo fato, pleraq; digna ſcitu, longè remota ſint à luce hominumq; conſpectu) & videbunt, quomodo mortalibus diuina bonitas, ad tenebras fugandas incredulorum, gloriamque Virginis magis ac magis illuſtrandam, toties conceſſerit ad ſacram eius Imaginem, infirmis ſalutem, cæcis lucem, non oculorum modò, ſed & intellectus ac fidei, mortuiſque ita frequenter vitam, aut moribundis ſanitatem, vt dubitandi vel diſceptandi, niſi proteruo, non relinquatur locus. In cuius beneficij memoriam, non Cracouienſes ſolummodò

summodò ipsi, sed vniuersa etiam Polonia, cũ reliqua omnia Virginis Theotocon festa maximo cum honore peragit, tum Immaculatam eius Conceptionem, singulari deuotione celebrant. Quod & vicinæ, adiunctæque olim Regno Prouinciæ faciunt, vt suæ fidei initia Christo Dei Filio, in Matre Virgine consecrare possint, piumque Theotocon patrocinium impetrare. Sodales quoque sancti Francisci, vt pio sensu, ex doctrina subtilis sui Doctoris, tum religioso cultu, ex consuetudine prisca, diem Conceptionis Immaculatæ Virginis, cùm vbique passim omnes, tum illi præcipuè, qui de Obseruantia vocantur, in vrbe Regni metropoli, ritu solemni, & exquisitis ceremonijs, festum cum Octaua peragunt; altiùs indies assurgente Virginei candoris, in pijs pectoribus memoria. Neque enim dignum erat, (obganniant vt velint, damnatæ fidei, emotæque mentis homines) vt Vnigenitus Dei, non propter se, sed propter hominem nascens, more nasceretur humano; eiusque purissima Mater, humanæ subiaceret impuritati tàm in sua originatione, quàm in partu Filij: sed vt Auctor imperfecti operis, perfectissimo iudicio inquit, *Dignum erat, vt Virgo naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri; quæ Euam pudore, Adamum comminatione liberauit, audaciam Dæmonis contriuit,* sine macula nasceretur, sine macula conciperetur: sine macula conciperet, sine vitio pareret: *quam concupiscentiæ fumus non attigit, vermis voluptatis non læsit.* Merebatur equidem hoc, pulchra nostra Abigail, ne laberetur in originarium marcorem, quæ debebat fieri Sponsa, non iam Dauidis, sed cælestis Regis; non terræ Palæstinæ, sed totius vniuersi Domina ac Regina; non filiorum Ioseph, sed Factoris sui Mater. Qui, si ministratorios spiritus, mundos ab omni labe habere voluit; si Prothoparẽtes nostros, in iustitiæ originalis candore creauit; si seruos dilectos, Hieremiam Prophetam, & Ioannem Baptistam, priusquam nascerentur in vtero sanctificauit: quomodo possibile est, vt dilectam Sponsam suam, ab æterno præordinatam, non immunem à labe mortifera faceret? quomodo Cælorum atque

Angelorum Dominam, non puriorem illis esse vellet? quomodo Matrem suam, non maiori plenitudine gratiæ, quàm seruos suos dotaret? quomodo non ampliori candidationis mensura, quàm primos Parentes nostros, exornaret? quomodo non præseruaret eam à peccato connaturali quodam modo nobis, quæ Naturæ Auctorem vlnis suis gestare debuerat? *Multæ filiæ*, inquit Salomon, id est, Æternæ Sapientiæ manu factæ rationales creaturæ, *congregauerunt sibi diuitias*, vel proprijs videlicet meritis, vel mera liberalitate & misericordia Dei, parauerunt sibi gratias, & dona Charismatum. *Tu supergressa es vniuersas*, ô Christifera Virgo, & facta es Domina vniuersorum, eò quia omni gratia plena, genuisti Dominum cunctorum. Is, cum pulcher & decorus sit, tu quoq; pulchra & immaculata es: ille candidus & rubicundus, tu candida & rubicunda: ille dilectus, tu dilecta: ille Sponsus, tu sponsa: ille Filius, tu Mater: ille Mediator & Christus, tu Mediatrix & Aduocata nostra. *Nomenq́ tuum è cælo datum Maria*, super omnia charismata, *superque omnia Sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos* (vt inquit doctus Idiota) *illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugulum Diaboli extrudit: tantæq́ virtutis, & excellentiæ est, vt ad eius inuocationem, cælum rideat, terra lætetur, Angeli gaudeant, Dæmones contremiscant, & infernus conturbetur.* Maria ergo dulce & amabile nomen est, auras spirans beatas, cælestem stilans dulcedinem. Maria vnicum in terris solatium vnicum molestiarum leuamen, vnicum omnium dolorum cordis medicamentum. Maria maris stella, quæ nos auxilio suo protegit, à procellis furentibus huius mundi, & deducit ad portum tranquillitatis manentis in sæcula. Maria exemplar virtutum, quæ fide omnes vincit Patriarchas, spe Prophetas, constantia Martyres, amore Apostolos, sobrietate Confessores, castitate Virgines; puritate & gratiarum splendore etiam ipsos antecedit Angelos. Cuius vterus fuit capatior cœlis, diffusior terris, latior elementis; quia illum continere valuit, quem totus orbis comprehendere non potuit, cum in visceribus gestauit, qui

ipsam

ipſam in vtero matris eius, mundam ab omni peccato creauit, liberam à labe originaria conſeruauit. Quapropter, Auditores Catholici, prædicate immaculatam conceptionem Virginis, vt mundati poſſitis venire ad nuptias immaculati Agni: extollite ineffabilem puritatem, candorem, ſanctitatemq́ue Mariæ, vt Sancti in cœlo mentibus, candidi & puri, adnumerari mereamini. Adorate locum, vbi ſteterunt pedes eius, qui nos omnes purgatos à ſceleribus noſtris habere deſiderat. Veneramini Virginem immaculatam, quæ cunctis gentibus deſiderata, omnium eſt perfugium, ſalus vniuerſorum, ſpes miſerorum, tutiſſimum ſingulareq́; perditorum refugiũ. Accedite ad illam audacter, tanquam ad Matrem miſericordiæ. Accurrite ad Diuam veſtram, tanquam ad fontem bonitatis, omni puritate puriorem, omni pulchritudine pulchriorem: ſed candidi, mundati, & purificati ab omni labe iniquitatis: & facies veſtræ, tam in hac præſenti & temporanea, quàm in illa futura ac æuiterna vita, non confundentur:

ô vtinam FIAT, FIAT.